





1727, 20

20

72  
IN ALMA ET PERANTIQUA ELECTORALI  
UNIVERSITATE ERFORDIENSI

DECANVS

ERNESTVS TENZELL,  
JCTVS,

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMI-  
NIS, IUDICII PROVINCIALIS ERFORDIENSIS ASSESSOR, AC DICTÆ CIVI-  
TATIS CONSVL PRIMARIVS,  
AD LECTIÖNEM CVRSORIAM

Super L. 22. C. Mandati,

HAC QVE FINITA

DISSERTATIONEM IN AVGVRalem  
DE VERA AC REALI ACQVISI-  
TIONE SIMVLTANEÆ INVE-  
STITVRÆ IN LVSATIA  
INFERIORI,

A  
NOBILI ET CLARISSIMO DOMINO

JOH. CHRISTIANO LEHMANNO,

Sprembergens. Lusat.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI  
D.XVI. AVGUSTI A. M DCC XXVII.

HABENDAS,

OMNIVM ORDINVM AVDITORES DECENTER INVITAT,

ET

OCCASIONE LEGIS IN ISTA LECTIÖNE EXPLICANDÆ

QVÆDAM

DE NATVRALÆGIS ANASTASIANÆ  
DISSERIT.

ERFORDIE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.





Raudes seditiones callidasque machinationes movere, generi humano non infrequens. Quantis CATILINA Cives Romanos dolosis persuasionibus sollicitaverit, hinc que turbis ac seditionibus aniam dederit, legimus apud CICERONEM hostem CATILINÆ; Quanto Justinianus Imperator Zelo fraudibus callidisque machinationibus occurrere al-laboraverit, testantur Pandectæ, Codex repetitæ pre-lectionis, ac Instituta; Quanta æquitate Prætor ri-gorem Juris temperaverit, fraudesque præter intentio-nem Imperatoris ex nimio rigore, & apicibus Juris stri-te observatis evenientes, coarctaverit, paucim in memoratis libris potest offendi. Inter alia luculentum pt. videri exemplum in L. I. pr. ff. Nautæ Caupones & Stabu-larii ut accepta restituant, (tibi Prætor materiam ne hi homines cum furibus haberent coeundi, adversus eos actionem quandam peculiarem introduxit, eo-rumque mores sat depravatos voluit compescere, licet ad tñum eundemque finem haec actio non sit introdu-cta vid. LEYSERVUS Meditat. ad Pandect. Spec. 66. §. 3.) & hujus generis plura, undique paginæ profanæ moni-strant. Quanta Usurarum primis temporibus fuerit abominatio, monstrat Jus Canonicum (licet hoc alio titu-lo & sub specie annorum reddituum palliatas conces-sisse videatur vid. BOEHMER. Jur. Eccl. Prot. ad tit. de De-posito

*posito §. 12.) Quantis successu temporis limitibus inclu-*  
*sæ Usuræ , Jus Romanum abunde , Praxis primitivæ*  
*Ecclesiæ , vid. STRYCK . V. M. ff. tit. de Usur. §. 2. Recessus*  
*Imperii , & fere cujuscunque loci Statuta ob oculos po-*  
*nunt. Nunquam autem ejusmodi admodum rigidæ*  
*constitutiones & coarctationes , effectum optatum in*  
*omnibus consecutas esse , plus quam mille exemplis*  
*posset doceri , conf. Dissertat. sub praefidio nostro de Usuris*  
*extra conventionem vel moram præstandis §. 4. inter hæc*  
*multa liceat intueri Legem Anastasianam , quæ fraudi-*  
*bus illorum lites alienas redimere studentium voluit ob-*  
*viare , Nihil societati humanæ commerciisque stabi-*  
*liendis erat aptius atque convenientius , quam cuilibet*  
*liberum esse rerum suarum Dominium , translationem*  
*que pro commoditate , & quoconque pretio , nisi læsio*  
*ejus ultra dimidium , contractum alias firmum interver-*  
*teret , vid. L. 2. C. de Resc. vend. vel dolus concurreret ,*  
*L. 5. C. eod. conf. LEYSERVUS Meditat. ad Pand. 205. Ast*  
*cum successu temporis invenirentur homines alienis*  
*fortunis inhiantes , bonasque actiones & nomina , qui-*  
*bus certa dies præfixa qui nondum venerat , vel quibus*  
*dies nulla præfixa , & tamen solutio eo momento exigi*  
*non poterat , minus Justo comparare pretio studentes ,*  
*ANASTASIIS Imperator horum hominum malitiæ voluit*  
*subvenire , & cessionem quidem ejusmodi nominum*  
*vel actionum in tit. ff. de Hered. vel. Actione vendita per-*  
*missam , non improbat , sed solum debitori ejusmodi no-*  
*minis exceptionem aliquam subministrat , ita ad plus*  
*solvendum adstringi non possit , quam is in quem ejus-*  
*modi nomen cessum , revera solvit , vid. L. 22. 23. & 24.*  
*C. Mandati , adeo ut postea is Jurejurando istud quod re-*

vera solvit cogatur patescere, licet solutioni adhibuerit testes, & Judex ex officio quoque nemine urgente debeat indagare, an non in cessione contra L. Anastasianam peccatum sit. vid. STRYCK. in V.M. ff. ad tit. de Hered. vel Ad. vend. §. XI. & Dres ibid. allegati. Imperatoris intentionem Justi ac boni undique hic colligere licet, sed an eundem quoque effectum fortita sit ambi-  
go, vix enim illi, quibus nervus rerum gerendarum deerat, tali constitutione lata, quenquam invenire potuerunt, qui egestati ipsorum pro praesenti succurreret, quis enim nomen ad mille thaleros datum, mille quoque thaleris redimet, possunt enim in actione vera & bona multa accidere infortunia, ut vel debitum redemptum pro parte periclitetur, vel etiam tanti sumtus circa exactionem solutionis erogandi sint, qui totum absorbeant debitum, quapropter haec nimis videntur rigide constituta, licet enim interesse & expensas computare liceat, per l. 22. C. de Mandati. haecque simul ab opponente Legem Anastasianam solvenda sint, tamen is cui cessum aliquid, si supponas pro vero pretio cessum esse, sentit incommodum, expensas enim tunc, quando alter non fuit condemnatus, ex propriis erogare tenetur, & nullum contra cedentem habet regressum, imo quandoque neque cessi nominis pretium recipit, cum liceat alicui nomen minus bonum, quod tamen verum est cedere, vid. L. 4. ff. de Hered. vel Ad. vendit. conf. STRYCK. de Cautel. Contract. Secf. 4.c. 2. §. 6. seqq. & ita cedens majori ferme fruitur commido ac privilegio, utpote qui summan promissam statim accipit, quam cessionarius, qui incommodo exactionis ac processuum est obnoxius. Haud equidem me latent, Dres maxime circa interpre-  
tatio-

tationem hujus Legis esse sollicitos, & quosdam solum  
eam latam esse putare, contra illos qui debitoris laces-  
sendi vel vexandi, aut etiam improbi lucri captandi gra-  
tia, cessionem in se fieri conficiant, vid. CARPZOV. P. I.  
dec. 67. n. 9. BERLICH. dec. 33. n. 19. MEVIVS in discuss. levam.  
inop. debit. c. 7. n. 27. & permulti alii, quorum allegatio-  
ni supersedeo, quosdam autem Justum pretium ex æquo  
& bono determinandum esse statuere: vid. LAVTERB.  
in Colleg. Theoret. pract. ad tit. de Hered. vel act. vend. §. 62.  
¶ 63. Sed ex ipsa constitutione has limitationes ipsos  
derivare posse dubito; licet enim Imperator ANASTASIVS  
in pr. L. 22. C. Mandati mentionem faciat, quod etiam di-  
versis personæ litigatorum per hasce cessiones vexatio-  
nibus afficiantur, tamen constitutio ANASTASIANA in d.  
I. tam generalis est, ut omnes damnent cessiones, quæ  
infra verum fiant pretium, ne scilicet sub hisce etiam  
eveniant casus quæ solum vexationis gratia fiant, so-  
las autem exceptit cessiones inter coheredes, ratione  
actionum hereditiarum, nec non inter Legatarios &  
fideicommissarios, in specie autem cessionem per do-  
nationem factam; sic reliqui casus omnes Legi Ana-  
stasianæ erunt subjecti. Luculentius hoc adhuc appetet  
ex constitutione JVSTINIANI in L. 23. C. Mandat. qui in  
principio repetit Constit. Anastasianam per verb. ab Ana-  
stasio divæ memoria justissima constitutio inscripta est tam hu-  
manitatis quam benevolentiae plena: Ut ne quis alienum sub-  
eat debitum cessione in eum facta, ¶ ne amplius à debitore  
consequatur his que præstítuit cessionis auctori, exceptis qui-  
busdam casibus qui specialiter illa sanctione continentur, eam  
que conqueritur à malis hominibus laceratam, astu-  
tiisque ipsorum interversam, hinc adhuc duriorem fa-

cit conditionem illorum, in quos cessione aliquid translatum, cum enim antehæc liberum erat, partem debiti donare, vel simpliciter vel remuneratore, hæc omnia in d. l. improbat, nullamque partiale donationem in ejusmodi casu admittit, nisi universalem totius debiti, hisce notabilibusque verbis in fine d. l. (*in futuris post presentem legem casibus hæc observari censemus: ut omne quod contra legem Anastasianam excogitatum est, hoc imposterum nostro perfruatur remedio*) plurimas Ddram limitaciones ampliations & extensions, de quibus farraginem invenies apud MANZIVM de interpretat. L. Anastasianæ, Alphos. ab OLEA de Cessione Jurium & Actionum, & ipsum BRVNREM. de Cess. Actionum. rejicit, licet optandum Ddram limitationes ex Lege Anastasiana, & subsecuta Justinianæ posse defundi, lex enim eo modo multo esset æquior, & deinde Judicis in omnibus admitteret arbitrium, sed quoniam ita scripta licet dura sit merito servanda, atque in Praxi commendanda, nec cum Dn. THOMASIO afferendum, exiguum hodie ejus esse usum, ob debitorum cessantem favorem, & quoniam Imperator ad Legem Cincinnam respexerit, quæ lex mutata facie rerum, cesseret, sic quoque corruat usus Legis Anastasianæ. conf. *Disputatio ipsius de Aequitate cerebrina & exiguo usu Praet. Legis Anastasianæ*, quem refutavit pluribus Dn. LEYSER Med. ad Pandect. 203. ubi quoque quæstiones An Contra Cambium locum habeat exceptio Legis Anastasianæ, pluribus solide excussas invenies. Multa eaque plura adhuc restarent dicenda, de Usuris cessis, an harum usuræ exigi possint, & quid Statutis provincialibus de Lege Anastasiana sit cautum, sed hæc pro facultate materiæ Lectionis Cursoriæ uberioris expendet

NOBI-

OB. 1000  
NOBILIS AC CLARISSIMVS  
DOMINVS  
JOHANNVS CHRISTIANVS  
LEHMANN,

Cujus natales atque profectus jamjam more solito se-  
quentibus examinandi: Primam adspexit lucem *Sprem-*  
*bergæ* in March. Lusat. infer. anno 1688. Patre MAR-  
TINO Lehmann, Matre autem MARIA WILLAMIN, Pasto-  
ris quondam in Pago Klein Döbern, filia; ab his Pa-  
rentibus optimis, in disciplinam Praeceptoribus, in  
Schola patria docentibus, traditus est, & prævia eo-  
rum Instruzione anno 1704. ad Lyceum Lubbenense  
missus, ubi sub fideli Informatione Mag. BARTHESCHID  
& SCHVLZII per 4. annos commoratus est. Postea se  
contulit in Gymnasium Budissinense, in quo diversis  
temporibus a dictis Praeceptoribus, qui ibi successive  
officio Rectoris functi sunt, per 4. annorum spatum  
studiis humanioribus instructus est. Deinde ad studia  
altiora prosequenda Academiam Lipsensem adiit, in  
qua, facta à Rectore Magnifico Dn. VLRICO JVNI die  
4. Mensis Octobr. 1712. in Numerum Civium Univer-  
sitatis Receptione, ultra Sexennitum Studio juridico in-  
cubuit, & præter Doct. PHILIPPVM, Facultatis Jurid. Af-  
fessor. & Senior. pie def. alias etiam Viros Doctissimos  
Doct. SCHACHERVM, & OLEARIVM audivit, omnesque Ju-  
risprudentiae partes horum ductu perlustravit. Inter-  
ea etiam sub Præsidio Dn. D. Frieß, A. 1715. Bonorum  
successionem unde Vir & Uxor publice defendit. Abso-  
lutis Studiis, tandem Lubbenam ad Fortunam suam con-  
stitu-

(2.3)

stituendam se contulit, illaque quæ ex ore virorum do-  
ctorum hauserat, in succum & sanguinem vertere con-  
stituit. Hinc causas Clientum orandas suscepit, in il-  
lisque eò processit, ut non sine fructu hoc peregerit,  
quare & Provinciae legi debitum præsttit obsequium,  
& pro praxi examen subiit, ac posthæc Advocatorum  
numero adscriptus est. Ne autem iste successus ita ex-  
cresceret, ut tandem Rabulistarum & trituratoris fo-  
rensis nomine insigniretur, consultius judicavit, & aliis  
demonstrare se vera Juris scientia contra tela pugnan-  
tium esse instructum, Themidisque societatem appe-  
tendo hac præsumtione sese liberare. Quapropter fa-  
cultatem nostram nuperrime adiit, petitiique ea qua par  
est modestia, ut ipsi aperirentur quibus explendum esset  
officium, ei qui Jurium scandere velit scalas. Deside-  
rium ejus honestum nobis lubentissime fuit acceptum,  
& id fieri posse per elaborationem textuum transmit-  
tendorum, & Examen rigorosum indicavimus; quibus  
omnibus se submisit, & partes suas ita complevit, ut non  
immerito reputaverimus, Jurium Candidatis esse an-  
numerandum, viamque ad ulteriora Jurium specimina  
aperiendam: & haec est causa ob quam proxima die  
16. Augusti Lectionem Cursoriā ad l. 22. C. Mand. &  
postea Dissertationem Inauguralem DE VERA AC  
REALI ACQVISITIONE SIMVL TANEÆ  
INVESTITVRÆ IN LVSATIA INFERIORI,  
habebit. Quos Actus solennes ut Magnif. Dn. Aca-  
demiae Rector, Dni Proceres & Fautores, præsentia  
sua honorare, Dominique Studiosi frequenter interesse  
velint, decenter rogantur, atque invitantur. Publ. sub  
Sigillo Fac. Jurid, d. 10. Augusti M DCC XXVII.


(L. S.)

**ULB Halle**  
005 355 63X

3







1727, 20  
20

*FACULTATIS JVRIDICÆ*  
IN ALMA ET PERANTIQA ELECTORALI  
VNIVERSITATE ERFORDIENSI  
DECANVS  
**ERNESTVS TENZELL,**  
JCTVS,  
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMENS,  
JUDICI PROVINCIALIS ERFORDIENSIS ASSESSOR, AC DICTÆ CIVITATIS CONSUL PRIMARIVS,  
AD LECTIONEM CVRSORIAM  
*Super L. 22. C. Mandati,*  
HAC QVE FINITA  
DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM  
**DE VERA AC REALI ACQVISITIONE SIMVLTANEÆ INVESTITVRÆ IN LVSATIA  
INFERIORI,**  
A  
NOBILI ET CLARISSIMO DOMINO  
**JOH. CHRISTIANO LEHMANNO,**  
Sprembergens. Lusat.  
IN AUDITORIO JCTORVM MAJORI  
D. XVI. AVGUSTI A. M DCC XXVII.  
HABENDAS,  
OMNIVM ORDINVM AUDITORES DECENTER INVITAT,  
ET  
OCCASIONE LEGIS IN ISTA LECTIONE EXPLICANDÆ  
QVÆ DAM  
**DE NATVRALEGIS ANASTASIANÆ**  
DISSERIT.  
ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

